

2. Quemadmodum enim in natura comparatum esse videmus, ut morbi alicujus atrocitate cognita, de convenienti remedio suscipiatur deliberatio: Ita perspecta miserabili illa clade ac sorte, quæ ex lapsu & corruptione Adamica in misellos mortales universos pertransiit, Rom. 5, 12. rectissimè statim de fonte ac autore restitutionis nostræ in integrum, instituitur disquisitio.
3. Est verò Articulus iste *μωνομερής*, ac mera quadam constans *ὁμογενεία*, neglecta *ἀντιθέσθ*, suam de Persona ac officio Christi Confessionem, *Ἰελυκῶς* duntaxat edere voluit.
4. Neque enim vel nostris Ecclesiis, tempore exhibitæ Confessionis, de hoc Religionis Christianæ capite, cum Romana Synagoga quicquam intercessit controversiæ: vel ulla erat hæresis, cujus suspicionem, quoad istum Articulum, à sese amoliri Confessores nostri necessum habuerint.
5. Nam quoad Cinglianam hæresin, quæ tum paulò antè effloruerat, ita sanè fidem mentemq; suam in *θεός* explicarunt; ut cuivis sana mente prædito, in ipso statim limine fas esset animadvertere, nihil ipsis cum Cingliano fermento esse commercij.
6. Quod probè animadvertens Cesar Carolus V. invictissimus, & reliqui Proceres Imperij, Pontificiæ religioni addicti, publicè suum de hoc Articulo consensum cum Protestantibus sive Evangelicis.

gelicis.